

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria

Schola I: *De Venere et Amore*

1. Amatoriam eam dicimus poesin qua de **amore** agitur (cf. *Ou. trist.* 2,363-466). Nec amorem nunc omnem intellegimus, sed eum qui cupiditati libidinique iunctus ad uoluptatem spectet. Is a patribus Christianis improbatur, cum a Deo auocare uideatur. Contra Graeci Romanique ei etiam numen tribuerunt idque geminum: Est enim *Eros* (Ἔρως), Latine *Amor* aut *Cupido*, est etiam *Aphrodite* (Ἀφροδίτη), Latine *Venus*. Quorum officia sic uidentur distributa, ut *Venus* magis ad uoluptatem corporis pertineat, *Amor* potius perturbare animos credatur. Nec tamen haec diuisio ab initio fuit. Nam *Homerus* utrumque dat *Veneri* neque *Amorem* deum nouit.

1. Barbara Breitenberger: *Aphrodite and Eros: the development of erotic mythology* [...], 2007

2. Walter Burkert: *Griechische Religion der archaischen und klassischen Epoche*, 1977, 233-243

3. Ed Sanders & al. (ed.): *Erôs in ancient Greece*, 2013

4. Bibliographia (ad 1999): <http://stroh.userweb.mwn.de/main6.html>, s.u. „Die erotische Dichtung der Antike“

2. Ac **Aphrodite** siue **Venus** antiquior uidetur. Eam plurimi homines docti ex Oriente uenisse putant, cum *Herodotus* (1,105) testetur eius primum templum *Ascalone* in *Phoenicia* fuisse. Assimilant autem eam *Astarte* siue *Ishtar* deae, quae a *Phoenicibus* aliisque ut fertilitatis dea colebatur, magnis papillis ornata. A qua *Venus* eo differt, quod semper uenusta est. *Homerus* *Veneri* suae tribuit *εργα γαμοιο* (*Il.* 5,429), i.e. *opera coniugii* siue concubitus, quae uocantur *αφροδισια*, unde *αφροδισιαζειν*. (Similiter *Romani* nomine *Veneris* utuntur). *Venus* enim facit ut homines inter se concumbere cupiant, etiam bestiae. In *Hymno* in *Venerem* *Homerus* (siue alius poeta) eam facit ingredientem supra montem *Idae*, plurimis bestiis sequentibus. Quibus ea in pectora desiderium (ἰμερον) inicit (u. 73), ut continuo pares cum paribus coeant. Idem desiderium addit etiam *Anchisae*, unde amor (ερος) illum deae capit, quam mortalem credit.

3. In lib. XIV **Homeri** *Iliadis* fascia (κεστος) *Veneris*, quam *Iuno* ab ea impetrat, *Iouem* ipsum ad concubitum cum uxore inducit (153 sq.). In illa sunt omnia incantamenta, amor (φιλοτης), desiderium, uerba blanda (οαριστος). Vnde *Ioui* tanta cupiditas uenit *Iunonis* amplexandae, ut libidinem differre non possit, sed in ipso *Idae* monte illam ineat. Verum est igitur quod *Iuno* *Venerem* dicit omnes domare mortales et immortales (199). In l. III autem *Venus* ipsa *Helenam* reluctantem in lectum *Paridis* cogit, sed ui ac minis (413 sq.). Semel a sua natura discedit, cum in lib.V ad seruandum *Aenean* cum *Diomede* pugnat. Cui ille illudit (311) non dissentiente *Ioue*. Atque in his dignitatem illa seruat. In *Odyssea* autem ipsa in adulterio cum *Marte* deprehenditur a *Vulcano* marito (8,266-366): qui cum ad hoc spectaculum deos cunctos uocat – nam deae pudore retinentur – exoritur risus ille *Homericus*. Vbi notandum est ea non referri ab *Homero* ipso, sed a *Demodoco* cantore, nec *Musas* huius rei testes esse potuisse.

4. Atque in *Homero* *Venus* *Iouis* et *Diones* filia est. Contra **Hesiodus** natam esse dicit e mari (theog. 188 sq.): Nam cum *Saturnus* *Vranum* (siue *Caelum*) castrauisset, genitale abscisum ait mari incidisse, spumam effecisse, unde *Venus* denique orta sit. Hanc horridam fabulam *Homero* iam fuisse notam plurimi credunt, qui tamen eam suppresserit. Sed potest *Hesiodus* id ipse excogitauisse, quod *Aphrodites* nomen a spuma (αφρος) deriuatum, illam ubique ut *Αφροδίτην Ουρανιαν* coli uideret. Cui comites dat *Eron* (*Amorem*) et *Himeron* (*Desiderium*).

5. **Ερωτος** siue **Amoris** natura a *Venere* diuersa est. Nam ea ubique in *Graecia* sacris colitur; contra *Amor* cultu caret, excepto uno lapide rudi, qui *Thespiis* in *Boeotia* colitur (*Paus.* 9,27,1). Nomen ipsum originem suam prae se fert: Est enim *ερος* cupiditas, quod uerbum *Homerus* nouit, cui tamen *Ερως* ut deus ignotus est. Videtur is e personae fictione ortus esse ut *Φοβος*, *Νικη*, *Δικη*, qui poetarum ingeniis debentur. Ergo *Hesiodus* primus credendus est hunc *Amorem* quasi deum finxisse, non solum illo loco, ubi de ortu *Veneris* dicit, sed iam antea. Vult enim post *Chaos* primos deos fuisse *Terram*, *Tartarum*, *Amorem* (theog. 120), quem deorum esse pulcherrimum dicit et qui omnium deorum hominumque animos uincat; uocatur etiam *λυσιμελης* (cf. *Hom. Od.* 18,212 sq.). Nimirum hic *Amor* causa est omnium generationum, quae postea futurae sunt. Necdum filius *Veneris* est, ut postea poetae finxerunt.

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria Schola II: De Venere et Amore II

6. Similia de **Amore** quasi *cosmico* iam sunt in fabulis orientalibus, praesertim Phoenicum. Apud Graecos autem talia historici philosophique posteri (saec. V) secuti sunt, ut Pherecydes, Acusilaus, Parmenides. (Vnde Aristoteles ait [met. 984 B 23] Hesiodum Parmenidemque amorem *principium motionis*, ἀρχὴν τῆς κινήσεως, statuisset.) Hesiodus autem Amorem ita Veneri adiunxit, ut eum formosissimum et potentissimum, qualis illa apud Homerum fuerat, fingeret. Poetae Lyrici autem (contra Hesiodum) parentes ei tribuerunt. Prima Sappho (s. VII/VI) Venerem matrem eius finxit, patrem Caelum (198 Voigt); alio loco Caelum et Terram parentes (l.c.). Tum Alcaeus Zephyrum et Irim maluit (327 V.); postea Simonides (s. VI/V) Venerem et Martem (PMG 575). Euripides unum Iouem patrem nouit (Hipp. 533). Venus mater apud posteros praeualuit, ut uerum esset illud: *mater certa, pater incertus*. Sed apud Meleagrum (A.P. 5,177) ipsa de patre dubitat! Ac fuerunt qui plures Amores ei filios darent.

5. Albin Lesky: *Vom Eros der Hellenen*, 1976

6. Hans Schwabl: „Weltschöpfung“, *RE Suppl.* IX (1962) 1433-1589

7. Quo fusius Lyrici et alii Amorem describebant, eo magis certam figuram sibi assumebat. Tria denique quasi fixa manebant, quae Propertius lepidissime uersibus inclusit (2,12,1-12):

Quicumque ille fuit, **puerum** qui pinxit Amorem, / nonne putas miras hunc habuisse manus? / is primum uidit sine sensu uiuere amantis, / et leuibus curis magna perire bona. / (5) idem non frustra uentosas addidit **alas**, / fecit et humano corde uolare deum: / scilicet alterna quoniam iactamur in unda, / nostraque non ullis permanet aura locis. / et merito hamatis manus est armata **sagittis**, (10) et pharetra ex umeris Cnosia utroque iacet: / ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem, / nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.

Puerum dixit primus Alcman lyricus (s. VII): *amens Amor ut puer puerilia ludit* (PMG 58); de causa dubitant homines docti, sed recte Propertius: quod pueri consilio careant. Ceterum ille magis ephebus quam uerissimus puellus fingitur. **Alae** in picturis pridem apparent, e poetis primus nominat Anacreon (s. VI): *flatibus (?) aurearum alarum praeteruolat* (PMG 379), tum Euripides. Hic Propertio uix credendum; aliter Ouidius, ars 2,20: de leuitate amantium. Homines docti quidam omnes deos alatos opinantur, sed falso. Rectius notari credideris celeritatem, qua deus *alatus impetum facit* (Eur. Hipp. 1275). Confer Mercurium, Victoriam! Sic etiam optime Propertius explicat **sagittas**, quae primum sunt apud Euripidem (Hipp. 531 sqq. et saep.), nam sagittarii subito impetu ex insidiis iaculantur. Subiacet illud quod ueteres ex oculis quasi tela mitti putabant.

7. Heinz Martin Müller: *Erotische Motive in der griechischen Dichtung bis auf Euripides*, 1980

8. Ursula Bittrich: *Aphrodite und Eros in der antiken Tragödie*, 2005

8. Nusquam tamen Amor ut deus hymnis siue **precibus inuocatus est** ante Sophoclem (s. V ex.) in *Antigona* (781 sqq.): *Amor pugnis inuicte, Amor, ... qui in mollibus uirginis genis pernoctas ... nec quisquam te fugere ualet immortalium neque hominum ...*; imitatur Euripides (Hipp. 525 sqq.): *Amor, Amor, qui super oculos desiderium stillas ...* Quamquam in utroque loco Veneris quasi famulus est. Mutat autem hic et postea paulatim naturam suam, ut minus cupiditatem subitam amplexandi quam perpetuum quoddam amoris desiderium afferre uideatur. Inde eius officium paululum **diungitur a Venere**, ut illa magis ad corporis uoluptatem, hic ad animi sensus spectet, quae uis etiam maior uidetur. Vt in Apollonio Rhodio (s. III) Venus Iunone iubente puero suo, quem repugnare matri dicit, aegre persuadet, ut sagitta sua in Medea amorem Iasonis accendat (3,84 sqq.). Quem locum Vergilius imitatur (Aen. 1,664 sqq.), ubi Venus ad filium: *supplex tua numina posco!* Etiam expressius idem Dracontius, poeta Christianus (s. V p.Chr.), Romul. 2,8 sqq.; cf. etiam Apul. met. 4,30. In Moschi (s. II) *Amore fugitiuo* mater puellum, qui fugit, carmine sic describit, ut inueniri et reduci possit. Atque Ouidius in *Arte amatoria* se Veneris iussu *praeceptorem Amoris* pueri feri (1,7) dicit. Lucretius autem Epicureus, qui non de ueris dis cogitat (4,1073): *Nec Veneris fructu caret is qui uitat Amorem*. – Id proprium fere semper habet Amor quod ipse non, ut interdum Venus, amat. Quod nouauit tamen Apuleius in *Cupidine et Psyche* (met. 4,28-6,24).

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria Schola III: De Homero, Hesiodo, Archilocho

9. Vtrumque carmen **Homeri** argumentum habet e magna parte amatorium. Tamen Homerus uerissimus poeta amatorius non uidetur. Nam in *Iliade* Achilles quamquam Briseidem ereptam sibi amat (9,341-343), non tam amore eius ad iram et deserendos Graecos mouetur quam eo quod dignitatem suam ab Agamemnone deminutam putat. Neque in *Odyssea* magis amore Penelopes Vlives ad reditum impellitur quam dulci patriae desiderio. Quod in colloquio cum Calypso dea quam etiam pulchriorem quam uxorem fatetur aperit (5,214 sqq.). Subtilissimos tamen amoris abditos sensus in eis demonstrat quae in Nausicaa poetatur (6,127 sqq.). Cui Vlives naufragus ac nudus callide blanditur ut propitia se domum suam recipiat, beatum dicit maritum eius futurum, cum nil melius sit concordis coniugio; illa autem ad amicas conuersa talem sibi, qualis Vlives sit, olim coniugem uenturum sperare confitetur.

10. Etiam minus **Hesiodum** poetam amatorium credas. Quamquam enim Amorem ut deum principem induxit, fere nil de rebus amatoriis aut Venereis dicit, immo omne genus feminarum ad perniciem uirorum genitum dicit. Quarum prima fuit Pandora, *malum formosum* (*theog.* 585 *καλον κακον*), quam Iuppiter fingi iusserit, ut furtum ignis a Prometheo factum ulcisceretur. Sic in *Theogonia*, ubi eo nocere feminas dicit, quod, ut fuci inter apes, ignauae ipsae uirorum industria fruuntur. Plura in *Operibus* (59 sqq.): Pandoram Ioue iubente a Minerua artes didicisse, a Venere omni gratia ornatam esse, sed a Mercurio accepisse *caninum et dolosum animum*. Datum autem esse a Ioue dolium quoddam (quod perperam *pyxidem Pandorae* uocant), quod omne genus malorum in se contineret. Cuius operculum Pandoram inepte sustulisse, ut illa mala euolare et per terras dissipari possent. Vnam Spem operculo prius restituto remansisse. Inde initium laborum et morborum. Ergo ut Eua in *Genesis* uitam hominum malo suo corrumpit, ita Pandora in Hesiodo dolio. Quare malitiam mulierum uexat Hesiodus, qui sic monet: *Qui mulieri fidit, fidit furibus* (*op.* 375). Nec negat quasdam sic meliores esse, ut in matrimonio malum bono temperetur (*theog.* 607-610).

9. Immanuel Musäus, *Der Pandoramythos bei Hesiod und seine Rezeption bis Erasmus von Rotterdam*, 2004

11. De suis amoribus primus **Archilochus** Parius scripsit (saec. VII), ut ipse dicit (fr. 1 West) simul *Martis seruus* (i.e. miles) et *amabilis doni Musarum peritus* (i.e. poeta). Quem ueteres paene Homero parem fuisse, cum diuersissimus essent, crediderunt. Tamen non plurimi eius uersus supersunt, nullum poema integrum. Putabatur autem quasi inuentor iambici carminis, cum iambus initio non sit ille pes metricus $w \ q$, sed idem ac probrum siue conuicium. Cuius quia plena erant Archilochi carmina, ea autem e magna parte iambicis pedibus scripta erant, nomen iambi facile a materia ad metricam translatum est. Inde etiam fieri uidetur ut multi eius uersus amatorii turpes siue obsceni sint. Dicit alicui *mentulam affluere semine ut equo bene pasto* (43 W.); dicit *mulierem pronam sorbere* aliquem uirum quasi *calamo cereuisiam* solent (42 W.); *uentrem uentri, femur femori* superingerit (119 W.) – quam longe remota ab Homeri uerecundia! Nec tamen cum de se loquitur desunt deliciaiora. Vt cum dicit (191 W.): *Tantum amoris desiderium* (*φιλοτητος ερως*) *contractum sub cor meum magnas tenebras offudit oculis, cum e pectore auferret teneros sensus* (*απαλας φρενας*), ubi dubites de sano consilio an de anima deficiente dicat. Atque haec sunt breuioris cupiditatis. Perpetuitatem amoris sic significat (193 W.): *Miser* (*δυστηνος*) *desiderio* (*ποθωι*) *incubo inanimus* (*αψυχος*), *deorum causa grauibus percussus per ossa doloribus*. Hic ergo primum amans se ut miserum deplorat. – Notissima fabula erat (ut ap. Porph. Hor. *epod.* 3,16) Archilochum Lycamben quendam, quod sibi Neobulen filiam in matrimonium negasset, sic uexauisse carminibus probrosis, ut is sibi mortem conscisceret. Huc aliquatenus pertinere uidetur papyrus Coloniensis a. 1974 reperta. In qua poeta Neobulae male dicit tamquam gratia eius et flos iuuentutis iam perierit, non ut illam lacessat, sed ut priscae amicae detrahendo nouam sibi conciliat. Quod succedit.

10. Max Treu (ed.): *Archilochos griechisch und deutsch*, (1959) ²1979

11. Martin L. West (ed.): *Iambi et Elegi Graeci ante Alexandrum cantati*, 2 uol., (1971/72) ²1989/92

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria Schola IV: De Sappho

12. Inter omnes omnium temporum poetrias eminent Sapphus Lesbiae gloria (saec. VI in.). Primus admirator fuisse uidetur Alcaeus, sequebantur multi, qui decimam Musarum dixerunt; etiam in scaena comica uersabatur; Strabo (13, 617) uocauit rem mirabilem, cui similis nulla fuisset; Catullus amicam suam *Lesbiam* uocat; cantatur in conuiuuiis Romanorum, unde Horatius (carm.4,9,10): *spirat adhuc amor [...] Aeoliae [...] puellae*. Ouidius ei adscribit epistulam. Ac quoniam puellas amauit, nunc quoque de „Lesbio amore“ loquimur, feminas quasdam (non antiquo more) „Lesbias“ uocamus. – Pauca nouimus de uita. Lesbi nata uiro diuiti nupta fuisse traditur, quem nusquam commemorat, sed alloquitur in carmine Cleidem filiam. Aliquot annos in Sicilia exul fuit, tunc reuersa est. Legebantur olim IX libri carminum, unde nobis paucissima restant – unum tamen poema totum (1 Lobel/Page):

Immortalis Venus in solio ornato sedens, / Iouis filia, dolos quae plectis, te imploro, / noli curis et doloribus domare mihi, / domina, mentem, / sed huc ueni, si quando olim / mea uoce exaudita [...] uenisti, / currum subiungens – pulchri autem / passeris te egerunt [...] per medium aetherem / et cito adfuerunt. Sed tu, beata, / ridens immortalis uultu / quaerebas, quid denuo paterer [...]: „Quam Suada denuo / ducat in tuum amorem? Quae te, / Sappho, iniuria laedit? / Nam si fugit, mox sequetur; / si dona non accipit, ipsa dabit; / si non amat, mox amabit – / uel inuita!“ / Veni mihi nunc quoque grauibusque me solue / curis et perface omnia, quae mihi perfici / animus cupit: Tu ipsa esto socia!

13. Est *hymnus uocatiuus* (ὑμνος κλητικος): comprecatio Veneris, quam Sappho aduocat, ut in nouis amoris curis auxilium ferat. Vnde discimus iam ueterem esse consuetudinem inter ipsam et deam. Venus autem non uidetur ea, quae Sapphus amoris causa sit, sed quae ei auxilietur, ut amor ad desideratum finem perueniat. Nam cum Sappho de sui desiderii origine dicit, Amorem (Ἔρωτα) deum nominat: eo se turbari ut quercum uentis (47 L./P.), eum esse bestiolam suauem et amaram, membra soluentem, inuictam (130 L./P.). Natura Amoris autem maxime manifesta est ex alio carmine notissimo, cuius prima saltem pars exstat (31 L./P.):

Ille mihi uidetur dis immortalibus par / homo, qui aduersus te / sedet et prope suaue te / loquentem audit – quod profecto meum / cor in pectore turbauit. / Nam simul breue te aspicio, iam uocis / nil mihi suppetit. / Sed fracta (?) est lingua et subtilis / ignis sub cutem cucurrit, / nihil uideo oculis, / tinniunt aures. / Sed sudore superfundor, / tremor totam me occupat et pallidior gramine / sum; iam paene in eo res est ut mori / mihi uidear. / Sed omnia sunt ferenda, quoniam ... [?]

Sic uerissime describitur furor amoris, quem *λυσιμελη* ueteres dixerunt. Sappho cum puellam amatam aspexit, sensus omnes perdit, in limine mortis esse se putat: Eum qui talem aspectum sustineat, plus posse quam hominem, diuinas habere uires. – Plurimum hic peccant homines docti: Sappho putant uale dicere alicui puellae, *felicem* esse ut deum eum *uirum* cui cum illa sedere liceat; se autem *inuidia* exardescere, cum illam una cum eo uiro esse uideat. Quin etiam fuerunt qui hoc carmen epithalamium crederent, puellam sponsam, uirum sponsum ...

14. Quae omnia e falsa opinione oriuntur, qua Sappho quasi puellarum ludi siue scholae magistra fuisse creditur. Inuenit id autem Frid. G. Welcker (1816), ut Sappho a crimine amoris innaturalis liberaret. Adduxit ut testem Maximum Tyrium (saec. II), qui Sappho puellas amauisse non libidinis, sed educationis causa putauit, ut Socrates in pueris fecisset. Vnde Welckerus scholam sibi finxit, ubi puellae innuptae cantare, saltare, alia didicissent. Propositum autem fuisse ut ad nuptias artibus quibusdam praepararentur. Hoc fere olim crediderunt, ut Sappho purior uideretur. Contra autem nuper extiterunt quidam qui in hac schola fuisse etiam consuetudinem Veneriam inter magistram et puellas fuisse crederent – sed id quoque educationis aut, ut dicunt, „initiationis“ causa! Traditum est certe a Suda Sappho magistram musicae fuisse, nec tamen easdem eius simul discipulas et amicas fuisse.

12. Max Treu (ed.): *Sappho griechisch und deutsch*, (1944)⁶1979

13. F.G. Welcker: „Sappho von einem herrschenden Vorurtheile befreyt“ (1816). In: *Kl. Schr.* II, 1845, 80-129

14. Holt N. Parker: „Sappho schoolmistress“, *TAPhA* 123, 1993, 309-351

15. Andreas Bagordo: „Sappho“, in: *Handbuch der griechischen Literatur der Antike*, Bd. 1, 2011, 200-209

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria

Schola V: *De lyricis elegiacisque poetis. De puerorum amoribus.*

15. Alcaeum Sapphus aequalem ex Horatio (carm. 1,32) discimus cecinisse *Lycum nigris oculis ...decorum*; sed ex his carminibus nihil exstat. Notior est **Anacreon**, qui postea fuit, tyrannorum amicus, quorum in aulis conuiuissive lusisse dicitur. Is in sermone amatorio nouator erat. Induxit enim eo, cum ab omni obscenitate abstineret, lasciuam quandam urbanitatem iocis aptiorem. Vt cum uirginem quandam pullo equino comparat, qui nondum frena passus sessore egeat, ut circum metas ducatur (PMG 417). Plurimus autem est de amoribus puerorum. Quorum in uno laudat uultum puellarem, qui animi sui auriga sit (PMG 360). Amauisse maxime putatur Bathyllum, qui tamen nusquam in fragmentis nominatur; causam explicat Horatius, epod. 14, 9-12. Amorem deum saepe appellat: eum ut pugilem prouocat (PMG 395), eius aleas dicit „furores et perturbationes” (PMG 398), ab eo se dicit „ut a fabro securi percussus esse et in hiemali torrente lauari” (PMG 413). Aliquando ludens minatur se in Amores nullum canticum pothac editurum, ni puerum quandam uulnerent (PMG 445). Queritur autem de senectute, quae „dulcem uitam” corripit (PMG 395).

16. Cecil M. Bowra, *Greek lyric poetry from Alcman to Simonides*, ²1961

16. Etiam in **chororum canticis** amor est. **Alcman**, qui (tempore fere Sapphus) in Lacedaemone talia fecit, sibi „Veneris gratia dulci Amore inundante cor calefieri” (PMG 59) ex ore chori fatetur. In *Partheniis* chorus ipse puellarum se Hagesichorae amore torqueri dicit (PMG 1,77) – sed haec obscura. Ardentissime amauisse (Cic. Tusc. 4,71) credebatur **Ibycus** (Anacreontis aequalis), qui talia choris commisit: se „omni aetate siccis furoribus perturbari ab Amore tamquam a Borea fulminibus flagrante” (PMG 286) aut, si „Amor se sub nigris palpebris liquidum tueatur, [...] tremere sese ut equum senem, qui saepe iam uictor inuitus rapiatur in stadium” (PMG 287) – quod in prouerbium cessit. – Contra ex elegiacis **Mimnermus** (s.VII), cuius pentametrum multum *in amore ualere* Propertius affirmat (1,9,11), nihil de suo amore Nannus dicit, quem ei posterius adscribunt. Immo Veneris dulcedinem laudat, sine qua uita nulla sit (1 West) – ut sexagenarius iam mori uelit (6 W.). Magis amatorius est **Theognis** (s. VI), qui in libro I elegiarum Cyrno puero de uita praecepta dat non sine spe amoris: nam suis carminibus Cyrnum, dum mundus steterit, in omnium conuiuissive celebratum iri (237-254). Hoc admodum simile est elegiacis Romanis, etiam magis id quod in libro II puerum aliquem benefactis sibi conciliare studet et de iniuria queritur.

17. Hos poetas omnes multo minus in puellarum quam **puerorum amoribus** uersari uidemus. Qui erat quasi mos communis Graecorum, postea improbatus a Christianis, cum amorem inter uiros iam Moses (Lev. 18,22) *abominationem* dixisset, Paulus autem eam poenam „contra naturam” a Deo inflictam eis credidit, qui creaturam pro creatore uenerati essent (Rom. 1,25-26). Sed hic „amor Graecus” q.d. non nihil differt ab eo amore inter uiros de quo nunc inter nos disputatur. Primum Graeci omnes uiros aliquatenus et in suum et in alterum sexum propensos putauerunt (non tamen ut nulla distinctio naturarum esset, ut quidam Michaelis Foucault sectatores clamant). Deinde, ut ipsa uox *παιδεραστία* indicat, amor ille non est inter ueros uiros, sed inter adultum amatorem, *εραστήν*, et iuniorem amicum s. *amāsium*, *ερωμένον* (dictum etiam *παιδικά* – unde fortasse Latine *pēdicare*, de coitu anali). Qui ephebus pubertatem non multum excessit. Quo fit ut ille amor non ultra plenam barbam amasii durare soleat nec quisquam de aliquo matrimonio uirorum (q.d. nunc „Homoehe”) cogitet.

17. Kenneth J. Dover, *Greek homosexuality*, 1978, ²1989 (Germanice 1983)

18. Michel Foucault, *Sexualität und Wahrheit*, vol. 2: *Der Gebrauch der Lüste*, 1986 (Franc. 1984)

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria **Schola VI: De puerorum amoribus II. De amore Platónico.**

18. Puerorum amores eo sunt similes puellarum amoribus, quod amator puerum q.d. (ut uir puellam) sibi conciliare studet; eo differunt, quod puer ille redamare non creditur, similis Amori deo, qui ipse non amat. Tamen etiam in pueris Αφροδιτη esse dicitur, ut Ερωσ in feminis. Quae autem amatores faciunt ad sibi placandos pueros dona dantes, supplicantes, ante fores dormientes, omne seruitium sustinentes, ea omnibus honesta uidentur (Plato, symp. 182 D). Quid autem pueris permittatur, dubium est. Nonnulli putant inter uitia haberi, si quis amatori usque ad coitum obsequatur; sed id ipsum in fontibus dici uidetur uoce χαρίζεσθαι (quod non uetatur). Verum cognouit K.I. Dover e picturis: Non toleratur in ingenuis coitus analis, sed qui a Dovero uocatur „intercruialis“ (Graece διαμηρίζειν), in quo amator puerum ex aduerso, non a tergo adit. Nam ille mos bestiarum ei qui patitur turpior uidetur, qui saepe non ad explendam libidinem, sed ad poenam exigendam adhibetur (ut in Priapo). Ceterum contemnitur, etiam punitur Athenis is, qui propter pecuniam aut alia commoda uiro aut uiris obsequitur (cf. Aeschinis or. in Timarchum). – Morem της παιδεραστίας multi inde ab Erico Bethe non e libidine, sed ex educatione (aut „initiatione“) ortum credunt – cui tamen obstant poetae, qui hunc morem sero natum demonstrant, suffragari uidetur auctoritas Platonis.

19. Erich Bethe, „Die dorische Knabenliebe: Ihre Ethik und ihre Idee“, *RhM* 62, 1907, 438-475

20. Harald Patzer, *Die griechische Knabenliebe*, 1982

21. W. A. Percy, *Pederasty and pedagogy in archaic Greece*, 1996

19. Amor Platonicus de eo dicitur qui a Veneriis uacet – quae tamen non uerissima sententia philosophi est. Legendum est *Symposion*, in quo nobiles uiri Attici Socrate praesente certamen orationum *De laudibus Amoris dei* instituunt. Ac (1) Phaedrus Amorem laudat, qui eo ad uirtutem perducatur quod amator ne a puero in flagitio deprehendatur timet. Tum (2) Pausanias ut inter duas Veneres ita inter duo Amores distinguit: uulgarem, qui ad corpus, caelestem, qui ad animum aut mores pertineat: obsequi autem puerum in illo caelesti amore ut melior sapientiorque fiat. Obscurior est (3) Eryximachus medicus, qui Amoris uim in omnem mundum omnesque disciplinas extendit. (4) Aristophanes comicus, qui sequitur, fabulam narrat: homines olim quasi globos (aut cylindros) fuisse sic ut quaterna quisque bracchia et crura, bina ora, item bina genitalia haberet, alius bina mascula, alius bina feminea, alius et mascula et feminea. Iouem autem eos dissecuisse; unde singulis desiderium uenisse amissae partis. Amorem autem esse *restitutorem priscae naturae*. Honestissime autem fieri, si mares maribus aeterno foedere iungantur. Tum (5) Agatho tragicus magna pompa uerborum Amorem celebrat ut deorum uenustissimum, optimum, magistrum omnium disciplinarum.

20. Contra (6) Socrates (quod ipse a Diotima didicisse se dicit) Amorem nec pulchrum nec taetrum esse docet, nec deum nec hominem, sed daemonem ex Inopia (*Penia*) et Inuentore (*Poros*) procreatum, philosophum. Amantes autem non tam id ipsum appetere quod pulchrum sit quam id quaerere, ut in pulchro illo gignant et pariant. Quod eos facere ait amore quodam immortalitatis. Vt enim alii liberos gignant aut immortalia carmina scribant sic amatorem in pulchro amico eum animum quaerere quem docendo ad omnes uirtutes instituat, quo se ipsum tamquam immortalem reddat. Sic fieri posse ut amator ab uno pulchro corpore ad plura, ad pulchras disciplinas et alia, denique ad ipsam speciem pulchri ascendat. – Vnde igitur ille q.d. „amor Platonicus“? Partim ex oratione (7) Alcibiadis adulescens, qui subito ebrius adueniens Socratem ut summum amatorem laudat: nam se ad ipsam Venerem propensum semper ab eo castissime habitum. Magis refert, quod Plato in *Phaedro* omnes animos immortales esse et e caelo originem ducere eoque tendere dicit. Id fieri posse amore si is cum philosophia iungatur. Esse autem in animo quasi duos equos, quorum alter honestus, alter turpis sit: illum in aspectu pueri amati retineri ab auriga, ne in Venerem ruat; hunc habenis repugnantem eo trahere. Est igitur amor Platonicus Veneris abstinens, si perfectus est; originem tamen in libidine habet.

22. Kenneth J. Dover (ed., comm.): *Plato: Symposium*, 1980

23. Anders Nygren, *Eros und Agape: Gestaltwandlungen der christlichen Liebe*, 2 uol., 1930/37 (e Suecico)

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria **Schola VII: De amoribus tragicis**

21. Post lyricos uenimus ad **poetas tragicos**. In quibus amores sane non aequae dominantur, habent tamen suam partem. Atque obsceniores erant fabulae satyricae, post trilogias tragicas actae, in quibus satyri ithyphallici ludebant – uelut **Aeschylus** eos ut *Achillis amatores* induxit. Idem in *Myrmidonibus*, quae tragoedia est, Achillem ipsum amatorem Patrocli lamentantem mortem amici eiusque corpus osculantem fecit. Venerem autem nuptialem celebravit in trilogia cuius drama primum, *Supplices* (Ἰκετιδες), seruatum est. In quo Danaï filiae, dum auersantur Aegypti patruelis sui filios procantes, Argos fugiunt, ubi supplices recipiuntur. In *Aegyptiis* illi proci Argiuis bello deuictis puellas ad nuptias cogunt, sed ab illis Venerem fugientibus crudeliter occiduntur. In ultima tragoedia, *Danaidibus*, Venus ipsa manifesta curat, ut in regnum suum eae mulieres scelestae reducantur (id est ut rite nubant) suamque uim in omni mundo ualentem pulcherrimis uersibus celebrat: *Amat Caelum ipsum sanctum uulnerare Terram, / Amor autem capit Terram, ut ei nubere uelit: / Imber autem de [...] Caelo cadens / grauidam facit Terram; quae mortalibus parit / pecudum pascua et uictum Cereris. [...] Horum etiam ego causa sum*. Ibi tamen nemo amans nec mentio Amoris est.

22. Contra **Sophocles** in *Trachiniis* fortasse primus feminam amantem in scaenam induxit, sc. Deianiram, quae cum timeat ne ab Hercule marito deseratur, tunica uenenata eum sibi retinere studet. Ea, ut lyrici, de Amore insuperabili loquitur – id tamen ad excusandum Herculem parum constantem, non ut ueram sententiam dicat, sed ut iram dissimulet (441-448). Sui amoris semel uelut obiter mentionem facit (630). Neque in *Antigone* Haemon illius sponsus quasi amans demonstratur. Nam cum chorus pulcherrimum hymnum cantat, quo primum in litteris Ερως inuocatur (cf. Scholam II 8): *Amor inuicte ...* (781) – errat quod (Creontem secutus) Haemonem amore moueri putat. Quo dicit etiam iustorum mentes ad iniuriam trahi.

24. K.v. Fritz, „Haimons Liebe zu Antigone“, in: K. v. F., *Antike und moderne Tragödie*, 1962, 227-240

23. Amoris poeta maximus **Euripides** erat, id quod ei etiam obiectum est (Aristoph.ran.1043 sq.). Nam, ut de aliis taceamus, exemplum amoris inuicti est Phaedra in *Hippolyto*. Cuius causa est in Venere ipsa. Quae cum spernatur ab Hippolyto, Phaedrae priuigno, sectatori unius Dianae, eum sic ulciscitur, non ut ipsi, sed ut nouercae amorem illius inicit. Sic ergo primum mulier aperte et misere amans in scaena est. Nam in primo actu Phaedra aegra in lecto iacet, hariolatur tamen furens quasi in siluis uenari cupiat; donec nutrix callide sciscitando ueram causam inuenit. Tum autem Phaedra consilium suum aperit, quod dudum iniit, mortis uoluntariae. Neque inde se dimoueri posse more uulgari credit. (Eo spectant uerba notissima [380]: *Quae bona sunt scimus ac nouimus / nec tamen facimus ...*). Sed praeripit ei honestam mortem nutrix, quae Hippolytum de amore dominae appellat. Qui maxime indignatur, iure iurando autem obligatus de peccato nouercae tacet. Illa autem propter dignitatem laesam Hippolytum ulciscitur; nam epistula, antequam moritur, priuignum falso criminatur sibi uim intulisse. Eam cum Theseus legit, statim filium deuouet uno e tribus uotis usus quae Neptunus ei dedit. Frustra se defendit Hippolytus. Qui cum curru uehitur, tauro horribili e mari emisso equi pauent, dominum eiectum per saxa trahunt. Haec ubi nuntius rettulit, adest ut *dea ex machina* Diana Hippolyti patrona. Quae et illum et Phaedram innocentes demonstrat, culpam Veneri tribuit. Tum Hippolytus infertur; ignoscit moriens patri, qui Veneri maledicit.

24. Nemo dilucidius quam Euripides hoc dramate descripsit amoris uim terribilem; quem non solum, ut iam lyrici, morbi et furoris, sed etiam sceleris auctorem dicit. In Phaedra autem mulierem exhibet generosam, imbecilliolem tamen. Longe aliam Phaedram demonstrasse uidetur in *Hippolyto uelato*, quem antea scaenae mandauisse traditur. Regina illic Amorem non ut morbum sentit, sed ut socium ad consilia perpetranda. Ait enim: *Habeo Amorem audaciae et proteruitatis magistrum, / qui in rebus perplexis uiam optime inuenit ...* Amor magister! In aliis fabulis eum etiam magistrum uirtutis dixit, ut iam accedere ad amorem illum Platonicum uideatur. Sunt autem inde ab Euripide hi quasi gemini Amores, morbus et doctor.

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria **Schola VIII: De poetis aetatis hellenisticae**

25. Hellenismus (ελληνισμός) olim erat pura Graece loquendi consuetudo (ut *latinitas*), deinde morum Graecorum imitatio. Quo nomine nunc dicimus eam aetatem quae ab Alexandri Magni morte (323 a.C.) ad Alexandriam captam (30 a.C.) extenditur, quia tunc Graeca lingua terminos Graeciae Asiaeque longe egressa magna parte orbis terrarum potita est. Tunc Athenae principatum in litteris amiserunt (comoedia excepta), effloruit autem **Alexandria**, ubi Ptolemaeus I *Museum*, uirorum doctorum collegium, cum bibliotheca maxima condidit. Vbi multi fuerunt grammatici et poetae. Ac poetarum illius temporis scripta amor siue Amor deus paene cuncta ut *spiritus communis* (sic Plutarchus de Menandro) peruat. Saepe Amor in plures diuiditur (ut sint Amores, Ερωτες); nec tam ephebus quam puer uerus fingitur (unde uiri docti tunc homines leuius de ui amoris sensisse credunt). Maius est quod is qui antea obnoxius Veneri fuerat nunc a matre tamquam in libertatem se uindicat eique etiam aduersatur. Vt in *Amore fugitiuo* Moschi Venus ciues admonet, ut puerum caueant; in Apollonio Rhodio ipsa eius auxilium implorat. Sed is nusquam in scaenam uenit.

25. Hatto H. Schmitt / Ernst Vogt (ed.), *Lexikon des Hellenismus*, 2005

26. Inter poetas amatorios paene princeps est **Theocritus** Syracusanus, tum Alexandrinus, inuentor carminis bucolici (siue pastoralis). In quo homines infimae condicionis inter se eis uersibus sc. hexametris colloquuntur, qui regibus et heroibus reseruari erant. Quae de amoribus aut ipsi dicunt aut quae a poeta dicuntur, raro obscena sunt, saepius ridicula. Vt in *Comissatione* (id. 3) paraclausithyrum urbanum ad rusticum antrum transfertur; atque in *Cyclope* (id. 11) Polyphemus pastor cantico rustico suum in Galateam amorem consolatur. Magis seria est *Venefica* (id. 2): Ibi Simaetha adiuuante ancilla amicum suum, qui effugit, artibus magicis recantare ad se conatur; quae dum fiunt, sui amoris historiam enarrat: quomodo ipsa in amorem inciderit (unde Verg. ecl. 8,41 *ut uidi ut perii*), ut corrupta ab illo et deserta sit. In *Thyrside* (id. 1) uetus fabula retractari uidetur: Daphnis pastor adulescens formosus (ut Hippolytus in Euripide) Amori aduersatur. Qui eum sic punit ut ipsum amare aliquam puellam cogat. Is tamen, quod mirum est, amori non obsequitur, quamquam puellae ipsi ualde placeat, sed obstinato odio Amorem usque ad mortem persequitur. Nam moritur – omnium qui in litteris fuerunt acerbissimus Amoris inimicus. Nec desunt in Theocrito amores pueriles, qui tamen non pastoribus adscribuntur, sed inter urbanos uersantur.

26. Bernd Effe (ed.), *Theokrit: Gedichte*, griech.-deutsch, 1999

27. Maxime regnat amor in **epigrammatibus**. Quae aut uera epigrammata uidentur, i.e. tituli inscripti, aut similia sunt elegis illis conuiuialibus, quae in Theognidis libris legimus. Epigrammata amatoria scripsisse iam Plato dicitur (Diog. Laert. 3,29-32), quorum notissimum est, quod fecit in sepulchrum Dionis, sic autem finitur: *o qui me insanum reddis amore Dion* (ὦ εἶπον ἐκμηνας θυμον ἐρωτι Διῶν). Hellenisticae et posterae aetatis amatoria collecta sunt in *Anthologia Palatina*, descripta c. 980 p.C., reperta 1606 a Salmasio: Liber V carmina in puellas, liber XII in pueros scripta habet. Primus in hac arte fuit Asclepiades Samius, quem propter uehementiam affectus laudare solent. Vt in aliquo carmine (A.P. 5,64), in quo ebrius ad amicae fores tendit, Iouem ipsum tonantem hortatur, ut pluat, ningat, grandinet, etiam fulminet; nam ab Amore sic se trahi, ut facile haec omnia sustineat. Aliis locis lasciuior est, ut cum (in uero epigrammate, A.P. 5,203) Lysidice meretrix (εταῖρα siue πορνῆ) Veneri calcar illud dedicat, quo saepe „equum supinum“ (ὄπτιον ἵππον) ad metam stimulauerit. Aequo lasciuus est Dioscorides Alexandrinus, quem Ouidius saepe imitatus est. Omnes autem superat Callimachus Cyrenaus. Nemo humiliter puero amato blandiri didicit (A.P. 12, 118):

Si uolens ad te, Archine, comissatus sum, miliens uituperato, / sin inuitus uenio, ignosce audaciae. /
Bacchus me et Amor coegerunt, quorum alter / traxit, alter mentem modestam habere uetuit. /
Sed cum uenissem, non clamaui, quis aut cuius esses, sed basiaui / limen: hoc si peccatum est, pecco.

27. Hermann Beckby (ed.), *Anthologia Graeca*, griechisch – deutsch, 4 uol., 1957 / 1958

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria **Schola IX: De comoedia Noua et Plauto Romano**

28. „O **Menander** et uita! Vter igitur uestrum utrum imitatus est?“ Sic ueteres comoediam quae Noua dicebatur, cuius princeps Menander (342-291 a.Chr.) erat, facete descriperunt. Nempe illa non ut Vetus illa, in qua *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae* (Hor. sat. 1,4,1) regnabant, illustribus uiris, rectoribus ciuitatis, etiam poetis illudebant inuentisque fabulosis populum oblectabant, sed cottidianae uitae ac morum ciuiliu speculum in scaenam inducebant, ut omnia ueri similia uiderentur. Personae fictae erant, inter quos inueniebantur patres familias parci, matronae castae, filii libidinosiores, serui callidi, meretrices blandae, non raro etiam lenones auari, milites gloriosi, multi alii, prout argumenta poscebant. In quibus tamen uerum est, quod Ouidius dicit: *fabula iucundi nulla est sine amore Menandri* (trist. 2,369), neque iniuria adiungit: *et solet hic pueris uirginibusque legi*, sc. in grammaticorum scholis. Erant enim hae fabulae ab omni obscenitate Veteris comoediae expurgatae, ut a discipulis tuto legi possent. Postea tamen in scholis Graecorum ueterem Aristophanem praeferebant propter puritatem Atticae linguae, quare is nobis manibus descriptus seruatus est, Menandri fabulae tantum e papyris inuentis et imitationibus Romanorum innotuerunt.

29. Notissima e fabulis fere nunc est **Δυσκόλος**, i.e. *Morosus*, qui nomen e persona principali habet. Nam Cnemon senex omnium hominum odium profitetur. Argumentum autem nascitur ex eo quod is uenustam filiam secum habet, quam Sostratus adulescens amat. (Fere omnes adulescentes in his comoediis amant, rarius etiam senes.) Conatur is igitur omni genere obsequii et laboris senem illum morosum sibi placare, quod non contingit, donec Cnemon in puteum decidit, unde Sostrati aliorumque auxilio liberatur. Cognoscit tum senex, quam stulta sit illa *δυσκολία* siue *μισανθρωπία*, nec quicquam obstat quominus filia Sostrato nubat. Sic fere semper in hoc genere fabularum personae amantes aliquo uitio morum aut casu fortunae separantur, donec in exitu tandem coniuncti sunt. Est autem id quod amatur aut puella ingenua aut meretrix. In illa ingenua drama in nuptias desinit, in hac in consuetudinem stabiliorem. Amores puerorum autem, quoniam sine aliquo coniugio sunt, in scaenam non ueniunt.

30. Hoc genus comoediae igitur, quod tum in Graecia uigebat, **Romani poetae** imitabantur. Qui inde ab anno 240 a.Chr. Livio Andronico auctore fabulas scaenicas scribebant et agebant, sc. Naeuius, Plautus, Caecilius, Terentius, quorum comoediae *palliatae* uocantur, quia personae pallio Graeco indutae Graecos etiam mores profitentur. Nam nisi in *togatis*, quae sero inuentae sunt, omnes fabulae Athenis aut in alia urbe Graeca uersantur. Quare si, quod saepe fit, pater familias aliquis a seruo suo nasuto ludificatur, spectatores Romani id non ad suam disciplinam seueriorem pertinere credebant, sed leuitatem Graecorum delusam ridebant. Quod ualet etiam in amoribus, qui e dimidia parte meretricum sunt. Nam, ut nomen Latinum indicat, fuerunt Romae pridem *meretrices*, i.e. mulieres uenales (quae etiam *lupae* aut *scorta* uocabantur), sed eae lupanaribus sordidis inclusae, non ad tantam dignitatem euectae, quales fuerunt illae Thaides, Laides, Phrynae a Graecis cum admiratione celebratae. Quibus simile tamen est Phronesium illud in *Truculento* Plautina, quae meretrix sola habitans et ab ancilla adiuta in una fabula tres amatores diuersi moris et sibi conciliat et misere carpit. Talem morem meretricum post a. 168 a.Chr. in Romana iuuentute increbuisse Polybius testatur (32,11,3), Plautus autem a. 184 mortuus est. Graecam *εταίραν* ridebant igitur spectatores.

31. Ac **Plauti** seruatae sunt XX comoediae - propter puritatem lepidi sermonis a grammaticis amatae. E quibus solum *Captiui* amore carent (quod in prologo aperte praedicatur), ceterae ad exemplum Graecarum effictae sunt. Proprium autem est Plauti, quod partes meretricum etiam auget et quod obscena interdum admiscet (quae etiam ad puerorum amores pertinere possunt), nempe quod talia spectatores uolebant. Accedit quod adulescentes amatores semper ineptos ac ridiculos facit, magis etiam senes amatores. Amorem uero ipsum numquam sic effingit, ut spectator ad subtiliores sensus, ad misericordiam aut lacrimas uocetur. Risus ubique quaeritur.

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria

Schola X: De Plauto II. De Terentio. De eis qui primi de suis amoribus scripserunt.

32. Exemplum sit Plauti *Miles gloriosus*, acta, ut uidetur, a.205 a.Chr. (quae omnium Latinarum litterarum, quae seruatae sunt, pars uetustissima putanda est). Exemplum Graecum (Αλαζων) Menandri fuisse probabile est. Titulum habet a *Pyrgopolynice* milite, qui sese uana superbia ab omnibus feminis amari credit. Is Athenis *Philocomasium* meretricem secum Ephesum in Asiam abduxit inuitam, ut uidetur, nec tamen contra leges. Ea antea fuerat amica *Pleusiclis* adolescentis, qui nunc eam reducere Athenas conatur. Id fit, ut fieri solet, dolis, quorum auctor *Palaestrio* est, olim Pleusiclis seruus, nunc militis. Atque in prima parte *Sceledrus* quidam, militis seruus alter, qui custos puellae impositus est, ita deluditur ut fugiat nec iam obstare possit. In secunda autem ludibrio habetur miles ipse, cui persuadent matronam quandam, uxorem ciuis nobilis Ephesii, perdit eum amare. Id autem fingitur, cum re uera illa matrona sit meretrix *Acroteleutium* nomine, quae amorem simulat, non sentit. Propter hunc nouum amorem miles Philocomasium dimittit, ipse autem in laqueos incidit: Nam quasi in adulterio deprehensus sit, minantur ei castrationem – unde se tota mina redimere cogitur. – In tota hac fabula amor Pleusiclis et amicae, quamquam omnis actionis causa est, nusquam describitur, neque is Pleusiclem audacem aut experientem reddit (cum omnia a seruo excogitentur). Vna scaena, in qua amoris affectus demonstratur, tota simulatione constat.

29. J. Blänsdorf: „T. Maccius Plautus“, in: W. Suerbaum (ed.), *Handb. d. lat. Lit. d. Antike*, t.1, 2002, 183-228

33. Vna aetate postea **P. Terentius Afer** suas VI comoedias edidit (166-160), quo tempore Romani iam magis Graecorum mores imitari coeperant. Quare in fabulis non tam ut rideantur illi quaerit quam ut indoles humana quae omnibus populis communis sit appareat. His autem differt a Plauto in amoribus: Adolescentes amatores non delirant, sed paene prudenter agunt. Desunt senes amatores. Desunt spurce dicta. Meretricum mores nobiliores finguntur. Ceterum argumenta eo Terentius locupletat, quod non unum par amantum, sed duo inducit, quorum in altero puella ingenua, in altero meretrix amatur. Prologos semper submouet ut exspectatio augeatur animique magis moueantur. Iam in *Andria Pamphilus*, qui a patre ad nuptias cogitur, cum tamen peregrinae puellae (*Glycerii*) amore teneatur, lacrimas ciet spectantibus (272-276):

hem egone istud [sc. ut illam deseram] conari queam? / egon propter me illam decipi miseram sinam, / quae mihi suum animum atque omnem uitam credidit, / quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim? / bene et pudice eius doctum atque eductum sinam / coactum egestate ingenium immutarier? / non faciam! [...]

Post multos autem et patris et filii dolos feliciter se res explicat, quod Glycerium, quae Andria putabatur, ciuis Attica cognoscitur – quod spectatoribus antea ignotum erat. – Terentium sequuntur scriptores *togatarum* (u. schol. IX 30), e quibus, quod mirum est, **L. Afranius**, ut Quintilianus testatur, *inquinauit argumenta puerorum foedis amoribus mores suos fassus* (10,1,100). Pauca amatoria admixta erant *Atellanis* et *mimis*, in quibus actrices quoque agebant, quas in *Floralibus* se nudare spectatores cogeant. Nil amoris fere in *tragoediis*.

34. De suis amoribus primus scripsit **C. Lucilius** (mortuus a. 102), inuentor saturarum. Quarum duo libros (e triginta) meretricibus et pueris bellis dedicauit. Librum XVI autem Collyrae, amicae suae nomine inscripsit. E reliquiis eum saepe obscenum fuisse cognoscimus, ut cum *laeua lacrimas muttoni absterget amica* (307 Marx). Similis in hoc quoque comoediae ueteri Graecorum. Eum secuti sunt quidam uiri nobiliores (Gell. 19,9,10-14), qui epigrammatibus ad exempla Graeca luserunt, ita ut etiam acutiores illis esse uellent. Vt cum **Valerius Aedituus** ad imitationem notissimi Sapphus carminis sic effectum amoris describit:

Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis, / quid mi abs te quaeram, uerba labris abeunt, / per pectus manat subito <subido> mihi sudor: / sic tacitus, subidus, dum pudeo, pereo.

Etiam magis ludit **Q. Lutatius Catulus** ille celeberrimus. Is Callimachum, qui questus erat dimidium animi sui ad puerum amatum fugisse, sic exprimit, ut totum animum suum eo fugisse fingat, se autem timere dicat, ne, si illum ibi quaerat, ipse teneatur. Quae absurda sunt.

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria **Schola XI: De Catullo. De Gallo et Propertio.**

35. C. Valerius **Catullus** primus e poetis Romanis se uere et ardentem amantem professus est, unde iam apud ueteres tantam gloriam consecutus est, ut eius **Lesbia ipsa Helena notior** fuerit (Prop. 2,34,88). Quam plurimi uolunt esse Clodiam Metelli (cos. 60): uix probabile. Ad nos uenerunt per unum codicem (Veronensem) fere 2300 uersus, qui in 116 carmina distribui solent. Veri simile est ea olim in tribus libris fuisse, quorum primus (I) polymetra minora (1-60), alter (II) polymetra maiora (61-64), tertius (III) elegiaca i.e. elegias maiores (65-68) et epigrammata (68-116) continuit. Sunt qui credant hunc ordinem totum a Catullo ipso constitutum esse. Certe in omnibus partibus Catullus de amoribus, praesertim de suis loquitur. – Atque initio **primae (I)** partis septem carminibus uenustissimis totam historiam amoris Lesbiae percenset: Ludit illa cum passere, non cum Catullo (2), moritur passer (3); felici amore laetus innumera basia sibi a Lesbia exoptat (5;7); subito eum illa recusat, qui se ad constantiam hortatur (8); amaris uerbis ei amorem renuntiat (11); tandem uicisse se amorem proximum carmen testatur (13). Ne tamen credamus unam Lesbiam a Catullo amatam, sequuntur nonnulla carmina in Iuuentium quendam, cuius amorem sibi contra riuales uindicat. Quae multo iocosiora et obsceniora sunt quam quae in Lesbiam scripsit. Notissima est autem ode Sapphica (c.51), in qua Graeco exemplo unam stropham ualde Romanam adicit.

30. Wilfried Stroh: „Lesbia und Iuuentius“ (primum 1990), in: W.St., *Apocrypha*, 2000, 79-99

36. In **tertia (III)** quoque parte multi uersus ad Lesbiam spectant. Vbi Catullus amorem suum eis uerbis describit quae ad Romanorum *amicitiam* pertinere solent (quod nouum est): Foedus quoddam fide sanctum inter amantes exstare credit, qui bene uolendo et benefactis inter se agere debeant, ut fiat amor quasi inter cognatos. Quam fidem uiolasse Lesbiam non semel queritur. Vnde illud pulcherrimum *Odi et amo* (85). Aliud genus amoris denotat in elegia ad Allium scripta (68 B = 68, 41-160). Hic amica ei tamquam dea uidetur, cui se longe inferiorem sentit. Quare ei etiam peccata condonare paratus est, ut Iuno Ioui suo multa furta ignouit. Quam non Romanum! Haec amica, quae nomine caret, certe Lesbia non fuit. In epyllio denique, quod in parte **secunda (II)** est de Peleo deque Ariadne (64), utrumque genus amoris coniunctum uidemus. Ariadne de Thesei perfidia lamentatur, quem etiam di puniunt; Thetis dea pulcherrima Pelea maritum non despicit. Veri simile uidetur Catullum in diuersis feminis diuersum amorem expertum esse. Ardor ac uis eius carminum singulares manserunt.

31. Max Rothstein: „Catull und Lesbia“, *Philologus* 78, 1923, 1-34

37. Elegiam amatoriam Romanorum, quae sui similem in Graecis litteris non habuit, a Catullo conditam esse multi putant; Ouidius autem **Cornelium Gallum** in successione elegiacorum primum dicit (trist. 4,10, 53 sq.; cf. Quint. inst. 10,1,93). Qui nobis e multis testimoniis, e Vergili eclogis (6;10), denique e papyro reperta (1979) notus est. Iam tempore Caesaris amauit Cytheridem mimam, quam sub nomine *Lycoridis* IV libris *Amorum* celebrauit. In quibus ut elegiaci posteri puellam condicione minorem (sc. libertam) quasi *dominam* uenerabatur eique obsequi ac seruire paratus erat. Qui amor tamen, si uitam Galli spectamus, non duraturus erat. Militauit enim sub Caesare Octauiano et Alexandria capta (30) praefectus Aegypti factus est. Item Tibullus nonnumquam queritur quod Messallam patronum ad bella sequi cogatur. **Propertius** contra iam in primo libro rebus publicis et militaribus renuntiare se dicit, ut uni amori (i.e. desidia et nequitiae) uacet. Quae tamen uita minime laeta, sed dolorum plena est. Quamquam enim *dominae* suae, quam *Cynthiam* uocat, fideliter adhaeret, ut tamquam Milanion Atalantae (1,1) ad omne obsequium paratus sit, illa eum crudeliter uix respicit. Furere ergo ipse sibi uidetur. Tamen Cynthiae soli suas Musas dedicat (quibus ea interdum ad mitius flectitur; 1,7-9); neque ad mortem solum, sed etiam ultra eam amare uult (1,19). In libris II et III haec amatoris humilitas aliquantum minuitur, donec puellae ualedicit seque Bonae Menti restituit (3,24/25). Liber quartus pauca amatoria habet.

32. Felix Jacoby: „Zur Entstehung der römischen Elegie“, *RhM* 60, 1905, 38-105

33. Wilfried Stroh: „Die Ursprünge der römischen Liebeselegie“, *Poetica* 3 /4, 1983, 205-246

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria **Schola XII: De Tibullo, Vergilio, Horatio**

38. Albius Tibullus, *tersus atque elegans maxime auctor* (Quint. inst. 10,1,93), duo libros elegorum scripsit, quibus idem propositum dicit ac Properti carminibus, sc.: *Ad dominam faciles aditus per carmina quaero: / ite procul, Musae, si nihil ista ualent* (2,4,19-20). Nouum tamen est quod non uni puellae *seruitio tristi* (2,4,3) deditus est. Nam in primo libro Deliam ueneratur, in secundo Nemesin; accedit in primo etiam Marathus puer amatus, quem tam delicatis uerbis ornat quam puellas, dissimilis Catullo. Vni puero, ut eum sibi conciliet, immortalitatem promittit (1,4) imitatus poetas quosdam Graecos. Vbique pecuniae male dicit, quae amorem corrumpat, item bello et armis. Adiunctus est amori Deliae etiam ruris amor. Nil magis se, qui dominus praediorum est, optare dicit, quam ut una cum Delia rura colere liceat, adsit etiam Messalla (1,5,31-34), quem patronum habet quemque in bella sequi saepe cogitur. Nemo mollius amoris sensus expressit, longioribus carminibus quam ceteri, Graecis fabulis raro admixtis. – Fertur etiam tertius liber, qui Sulpiciae cuiusdam et aliorum carmina continet.

34. Fritz-Heiner Mutschler: *Die poetische Kunst Tibulls*, 1985

39. P. Vergilius Maro omnibus carminibus suis addit aliquid amoris, quem tamen saepe ut perniciosum denotat. Nam in *Bucolicorum* ecloga VI inter exempla amoris ut miserrima inducitur Pasiphae, quae ad amandum taurum brutissimum animal cogitur; in ecl. II Corydon suos amores deflet, quem poeta in fine consolari conatur. In ecl. VIII duo sunt cantica amatoria: primum cantat miser quidam pastor, qui amore deceptus se de alto monte deicit; alterum femina rustica, quae magicis artibus perfidum amorem ad se redire cogit. Etiam notior est ecl. X, ubi Gallus poeta frustra amori repugnat, donec intellegit (69): *omnia uincit amor, et nos cedamus amori*. – Cumque amor reseruari soleat hominibus, Vergilius eum etiam bestiis assignat neque a Venere distinguit in *Georgicis* (3,242 sq.): *Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque [...] in furias ignemque ruunt: amor omnibus idem*. Hic ursis et apris Venere saeuientibus adiungitur etiam Leander adulescens, qui amore coactus mare tranat. – Nil autem maius poesis amatoria habet quam librum IV *Aeneidos*, qui est de Aeneae et Didonis amore. Hic poeta primus enarrat discrimen illud hominis amantis, qui inter officium et desiderium distrahitur. Nam primum Dido amore hospitis capta secum pugnat, quod se marito defuncto desponsam credit. Postea uiro ex aequo amanti succumbit. At cum Aeneas eam propter fata relinquere cogitur, illa ut Ariadne Catulli ira exardescit, Aeneas uero tum discidium illud inter debitum et amorem experitur (448 sq.): *magno persentit pectore curas: / mens immota manet*. Illa autem Aeneae ense concidit. – Neque amorum puerilium Vergilius oblitus est. Nam in libro IX Nisus Euryali amator cum illo honestissimam mortem occumbit.

35. Antonie Wlosok: „Vergils Didotragödie [...]“. In: *Studien zum antiken Epos*, 1976, 228-250

40. Q. Horatium Flaccum amatorium poetam esse multi negant, sed errant. Atque in *Satiris* ut philosophus Epicureus auocat maxime ab adulteriis periculosus, cum in rebus amatoriiis nil opus sit nisi ut libido expleatur, quod etiam in ancillis facile fiat. Amantem se gerit interdum in *Epodis*, ubi eum Lyciscus, Phryne, Neaera (epod. 15) tenent. Quae cum fidem fregit, ipse non ut elegiaci querelis mollibus indulget, sed nouam amicam sibi quaerendam censet. Archilochum secutus admiscet etiam duo carmina obscenissima. In *Odis* autem amatoriiis distinguit (1,6) inter eas quas ipse *uacuus*, i.e. non amans, et eas quas amore tactus scripserit. Primi generis exemplum praebet carmen ad Pyrrham (1,5): Eam nunc adulescens tenet amore laetissimus, sed mox eum deceptum iri poeta uaticinatur, qui olim ipse Pyrrham expertus sit. Alterius exemplum est in carmine ad Lydiam (1,13): Quae cum iuniorem amicum laudat, *umor ... in genas furtim labitur, arguens, / quam lentis penitus macerer ignibus*. Nam *ignibus lentis* seniores amantes torrentur, flammis minus lucentibus, non minoribus. Sentimus haec Horatium fecisse iam XLII annos natum. Quo differt ab elegiacis, nec minus eo quod in uno quoque carmine nouam amicam inducit. Neque in libro IV quinquagenarius amare desiit nunc Ligurino cuidam deditus (4,1), sed etiam Phyllidi, quae sit suorum ... *finis amorum* (4,11,32).

De Graecorum Romanorumque poesi amatoria Schola XIII: De Ouidio poeta amatorio

40. Ovidius, ille *TENERORVM LVSOR AMORVM* (trist. 3,3,73), iam paene puer coepit populo recitare suos *Amores* in Corinnum, qui quin placuerint non dubium est. Tam ingeniose erant ficti, tam diligenter dispositi, tam pleni sententiarum, quales tunc a iuuentute deuorabantur. Editi autem sunt *Amores* V libris continuis usque ad fere a. 16 a.Chr., postea nouis curis expoliti et in III libros contracti. Quare ipse iocose: *Si iam nulla tibi nos sit legisse uoluptas, / at leuior demptis poena duobus erit.* Amorem autem, quem Tibullus ac Propertius grauium dolorum causam sentiebant, quasi pro ludo habet. Quem deum initio (1,1) sibi pedes ex hexametris furantem, ut elegi fiant, inducit; tum, cum is denique telis suis usus est, rogat, ut ad exemplum Augusti *uictos protegere* uelit (1,2). Puellae autem suae immortalitatem promittit, ut olim Europae, Io, Ladae heroinis (1,3); quod saepe inculcat, donec se in laqueos suos incidisse sentit. Nam Corinnum, quam nimis celebrauit, a plurimis amari queritur, ut non iam unius Ouidi sit (3,12). Nouum est in opere elegiaco, quod ipsam Veneris uoluptatem laudibus extollit: *felix, quem Veneris certamina mutua perdunt! / di faciant, leti causa sit ista mei!* (2,10) Neque a deliciaribus abstinet: Corpus puellae nudaе membratim perlustrat (1,5); cum se ad Venerem impotentem sentit, mentulam ipsam accusatorie persequitur (3,7). Sed etiam abortum detestatur (2,14): Nam si Venus Aenean abegisset, unde Augustus et Caesares!

41. A. 18 a.Chr. Augustus tulerat duas leges de matrimoniis. Quarum primam, quae erat *De adulteriis* – de quo crimine tunc inter iudices quaerebatur – Ovidius iam in *Amoribus* irriserat, ut cum dixit: *rusticus est nimum, quem laedit adultera coniunx* (3,4). In *Arte amatoria*, quam fortasse proximam scripsit – nam ea qualem nun legimus non ante a. 1 a.Chr. edita est –, ludibrio habuit etiam alteram legem *De maritandis ordinibus*, qua princeps iuuentutem ad liberos legitime procreandos adducere uoluerat. Vt cum dicit: *Non legis iussu lectum uenistis in unum: / Fungitur in uobis munere legis amor* (2,157). Vbique autem detrahit uxoribus, tamquam peius ament quam libertinae. Sed adulterii doctor dici non uult. Quare matronas et uirgines ingenuas e carmine suo submouet: *Nos tutam Venerem concessaque furta canemus* (1,33). Quod ex aliqua parte non uerum est. Quare *Ars* una fuit e causis, cur Augustus postea eum in exilium eiecerit (trist. 2,211). – Est autem *Ars* carmen didacticum elegis compositum (quod nouum erat), non ad id institutum, ut amare lectores, sed ut amorem sibi comparare discant. Id in primo et altero libro adulescentes, in tertio puellas edocet. Illic plurimum ualet ars oratoria, in qua etiam fingere amorem et fallere conceditur; in puellis simile quid efficiunt artes musicae corporisque ornatus. Contra in *Remediis amoris* non contrariis *Arti* praecipit quomodo is qui uere amare coeperit idque moleste ferat se ab amore liberare possit.

42. Longe absunt ab his artibus ludendi et fallendi *Epistulae* (quae nunc uocantur *heroidum*), in quibus animi mulierum sincere amantium apparent: *Ignotum hoc aliis ille nouauit opus* (ars 3,346). Sunt autem omnes excepta ultima (nam de *Sappho* dubitatur) sumptae e fabulis Graecis. Vbique mulier quae amat ab eo quem amat seu marito siue amico separata est. Erat autem opus olim in tres libros diuisum, ut singuli libri quinas epistulas haberent. Quorum in primo et secundo singulas maritas (1 Penelopen – 6 Hypsipylen) sequuntur binae caelibes siue amicae (2 Phyllis, 3 Briseis – 7 Dido, 8 Hermione); adiunguntur singulae maritae (4 Phaedra – 9 Deianira) et singulae caelibes (5 Oenone – 10 Ariadna). Differunt autem hi libri inter se, quod in primo feminae magna spe scribunt recuperandi uiri (sunt uerissimae suasoriae); in secundo haec spes aliquantum deminuta est, ut heroides magis secum quam cum uiro loqui incipiant. In tertio autem iam omnem spem deposuerunt libereque affectibus indulgent. Mira arte autem Ovidius uniuscuiusque puellae ingenium effinxit – ut uix dubites hoc omnium eius operum primum iudicare. – In *Epistulis duplicibus* autem (16-21) illius Amoris uis manifesta est quem primus Euripides uidit: qui homines non aegros, sed audaces reddit. Paris amoris causa classem instruit, Leander mare transnatat, Acontius dolo ingenioso Cydippen expugnat.

36. W. Stroh: „Ovids Enzyklopädie der Liebe“, in: V. v. Marnitz (Übs.), *Ovid: Die erot. Dichtungen*, 2000